SOLLEMNIA EXPLORATIONIS

GYMNASII NOSTRI ALUMNIS

DIEBUS XXVIII ET XXIX SEPTEMBRIS

SUBEUNDAE

HUMANISSIME INDICUNT

DIRECTOR ET COLLEGIUM.

1. NOVAE SUETONII EDITIONIS SPECIMEN (CAES. C. 4—6) EXH. *J. DE GRUBER.*
2. FASTOS GYMNASII COMPOSUIT *DIRECTOR.*

SUNDIAE MDCCCXXXVII.
FORMIS OFFICINAE STRUCKII.

Gratis

Praefatio.

Quum abhinc quattuor fere annos in Jahnii Annalibus Philologicis consilium rationemque novae Suetonii editionis proposuissem: commodissimum visum est hac occasione scribendi oblata aliquod hujus editionis specimen offerre, ex quo clarius perspiciatur, quomodo in adnotationibus VV. doctorum componendis atque in unum quasi corpus redigendis versandum mihi existimaverim, ut, si qua deteriora deprehendantur in mea hac ratione, monitus corrigere possim, neve editione ipsa in lucem emissa sera sit corrigendi voluntas. Haud enim facilis est labor complectendi omnia, quae ab interpretibus prolixius copiosiusque, prout ingenium cujusque copiaeque ferebant, exposita et scriptori nostro adglutinata potius, quam cum eo conjuncta sunt. Brevitati erat maxime studendum, ne commentariorum moles in volumen immensum emturos lecturosque deterriturum excresceret: neque tamen temere quicquam omittendum, ne alterum consilium, quo hujus editionis laborem suscepi, irritum fieret; hoc nimirum consilium, ut si quis ad antiquiores Suetonii editores ablegaretur, Torrentium dico aut Casaubonum, Graevium, Burmannum, Oudendorpium, Ernestium, Baumgarten-Crusium, ne is frustra quaereret in nostra editione, quae VV. DD. loco laudato disputaverint. Ideo multa erant recipienda, quae quoniam ad scriptorem illustrandum parum facerent, potius omisissem; immo haud raro tales adnotationes, ut quid utilitatis haberent, amplificandae eaque adjicienda erant, quae recentiores eadem de re meliora vel accuratiora docent. Jam quum omnis fere vita Romanorum et publica et privata

in Suetonii vitis explicetur atque enarretur, factum est, ut virorum DD. adnotationes praecipue in singulis rebus institutisque illustrandis copiosae sint atque nulla fere res ad antiquitatem, quam dicimus, Romanam pertinens reperiatur, quae non aliquo loco pertractetur aut certe attingatur. Quum vero post Oudendorpium et Ernestium nemo interpretum haec accuratius pleniusque sit persecutus, nostra autem aetas plurima in his rebus aut nova invenerit, aut vetera melius explicaverit: haud pauca fuerunt, quae essent addenda, praesertim quae a juris consultis aut philologis juris Romani non ignaris ad describendum Romanae reipublicae et imperii statum his duobus demum decenniis ex tenebris in lucem protracta atque ex fragmentis ruderibusque scriptorum ingeniose composita sunt. Ideo operam dedi, ut haec potissimum scripta ad scriptores Romanos illustrandos explicandosque nondum satis adhibita eoque saepius etiam ignorata, in auxilium vocarem quantumque in me esset, utilem immo necessariam eorum cognitionem inter antiquitatis studiosos adjuvarem, id quod magnopere probari communis omnium VV. DD. consensus me docuit, quo nuper acceptus est Reinii liber de jure privato Romanorum in usum philologorum conscriptus. Haec jam mihi putavi monenda, ne quis existimet me corrasa undique annotationum copia adeo delectari, ut sine certo consilio arriperem quaeque et proferrem. Atque his maxime de causis ne post Baumgarten-Crusii quidem laudabilem operam, supervacaneam fore hanc meam editionem speravi. Nam quum ille duabus potissimum rebus laudem sibi quaesierit atque adeptus sit, diligenter conquisitis et appositis reliquorum cum Latinorum, tum Graecorum scriptorum locis, atque pleno perfectoque Latinitatis indice: equidem contexendis editorum adnotationibus; addendis, quae nostra aetas praesertim ad antiquitatem illustrandam nova tulit; criticis denique subsidiis, de quibus mox dicemus, ad scriptoris verba constituenda adhibendis operam impendi utilemque editionem meam reddere studui.

Brevitati vero consulendum putavi partim contractis in brevius VV. DD. verbis, praesertim ubi plures aut plerique omnes eadem fere verbis tantum diversis protulerunt; partim etiam omittendis iis, quae prorsus aliena erant a scriptore nostro, neque grammaticam et lexica juvarent, uti Oudendorpii frequentes conjecturae in Apulejum et Frontinum, quae in horum scriptorum editiones jam translatae sunt facileque in Indicibus Oudendorpianae editionis inveniri possunt ab editoribus Apuleji ceterorumque scriptorum; omissis porro, quae hodie in

lexico quovis aut grammatica ampliore aeque copiose tractata reperiuntur. Denique hoc etiam faciendum putavi, ut obsoletis VV. DD. dissertationibus (uti Rhodigii Variis Lectionibus, Lampadi criticae, Barthii Adversariis, aliis) substituerem recentiorum scripta, si qua iisdem de rebus agebant; aut etiam transcriberem statim, si operae pretium esset, ea quae in istis leguntur, ne lectori toties ad illos confugiendum esset, quos adire raro juvat. Quare ejusmodi scripta modo tum laudavi, si ipse ea inspicere non potui, aut cum recentiora melioraque mihi non innotuissent. At vero in praesenti penuria librorum rariorum hoc saepius nunc quidem mihi evenit, quam futurum esse spero, dum ipsa editio prodeat. Alia brevitatis ratio nescio an non omnibus probetur; locos nimirum laudatos verbotenus adscribere plerumque supersedi, ubi ad intelligendam sententiam parum aut nihil faciebant verba ipsa. Quanquam enim non negaverim gratum esse hoc lectoribus; utilitatis tamen plerumque non est tantae, ut brevitati esset anteponenda. Primum enim semper fere, si accuratius velimus perspicere exempli vim ac veritatem, locus ipse nobis excutiendus est, ut sententiarum nexum, variasque lectiones, quas dicunt, cognoscamus; deinde hodie ubi versus et paragraphi in citando adduntur, virisque DD. ad manus sunt editiones scriptorum indicibus rerum et verborum instructae, minus jam est necesse ubique ipsa scriptorum verba addere: brevitati vero his ommissis magnopere consulitur. Ubi tamen ipsa scriptoris verba legere opus est ad intelligendam annotationem, aut ubi meliores editiones rarae, aut admodum diversae sunt, his locis addita verba semper invenies.

Monendum porro, me in adnotationibus tot interpretum componendis non potuisse ubique accurate dirimere et significare, quae uniuscujusque essent, atque ne ea quidem, quae ipse demum adjecerim, ita separare, ut statim cognoscerentur; neque tamen hoc operae pretium duxi, quum iis locis, ubi controversia sit inter viros doctos, certe quam quisque sententiam sequatur additum invenias; argumenta vero locique, quibus eam defendunt, a pluribus eadem soleant proferri. Ubi tamen unus aliquis prae ceteris rem tractavit atque confecit, ejus nomen apposui; atque statim adjunxi quae pauca ab reliquis erant addita. Neque singula vocabula locosque, quae ipse addidi, cancellis includere volui, quum haec nimia mihi videatur diligentia; nam in veteribus examinandis non minor opera collocanda fuit, quam in novis addendis: immo videtur potius gloriolae cupido et ostentatio prodi, ubi quis

errores manifestos ita potius corrigit, ut falsa retineat, appositis rectis, quam ut tacite breviterque vitiosa auferat. Eligenda vero mihi erant ad hoc specimen elaborandum capita quaedam, in quibus non occurebant res, quas accuratius pertractare supellectilis literariae inopia me impediret; quamvis enim summa me amicorum liberalitas ac prae ceteris Schömanni, quem honoris causa nomino, humanitas omnibus, quas civitas ejus copias praebet, adjuvet, tamen haud raro recentiora maxime scripta desunt, exspectandaque in iis opportunitas ea vel ex longinquo petendi.

Quae vero ne ex hoc quidem specimine cognosci possunt haec fere sunt. Continebitur editio nostra tribus tomis, quorum primus Caesarem et Augustum, alter reliquos domus Augustae Imperatoris, tertius sex postremos atque Indices ad Commentarios exhibebit. Excursus singulis tomis statim subjiciam. Fastidioso labore lexici Suetoniani conficiendi me supersedere posse post Baumgarten-Crusii laudandam operam, summe laetor: ea, quae mihi addenda et emendanda videntur, si operae pretium fuerit, separatim edita huic praestanti libro deinde facile poterunt adjungi. Neque tamen haec omnia jam propediem prodire poterunt, sed ut plene perfecteque absolvantur Horatianum praeceptum tenendum erit, id quod monendum putavi, ne quis me rem levi brachio transacturum, promissisque verbosis male staturum suspicaretur.

Jam de *codicibus* pauca erunt dicenda. In conquirendis novis subsidiis criticis contigit mihi quidem haud parvum nancisci numerum codicum aut plane non aut negligentius collatorum. Ipse Vratislaviae denuo contuli duos illos codices, quorum editiones ad Caesaris vitam spectantes jam Schneiderus V. D. olim emisit; deinde Berolinenses duos consului, jam a Paldamo inspectos: Vindobonensium vero trium, praeter duos ab Oudendorpio adhibitos, varias editiones opera amici popularis nactus sum; largissimam vero omnium messem humanitati Hasii Parisiensis debeo; viginti duorum enim codicum collationem accuratissimam et diligentissimam hic mihi faciendam curavit: Veronensium tamen Helveticorum et Guelferbytanorum librorum specimen saltem ut adipiscerem frustra operam dedi: ibi civiles discordiae, hic aut bibliopolae negligentia, aut bibliothecae praefecti occupatio obstabat. Neque tamen majoris momenti videtur horum codicum scriptura, uti ex iis, quae Wolfius in editione sua, quamvis pauca, communicavit, conjecerim. Adjeci denique accuratam collationem editionum Stephanianae et

Mediolanensis a. 1475. At vero ex iis, quorum copia mihi facta est, parum utilitatis ad scriptorem nostrum redundare, mox perspexi: nam satis magna quidem farrago variarum lectionum corradi potest, sed quae maximam partem futilibus librariorum erroribus contineatur, et cum optimorum librorum scriptura raro mereatur componi. Iis enim locis, ex quibus melior editio incorruptiusque codicum genus certo potest dignosci, hi codices omnes saepissime mira inconstantia dissentiunt, ita ut in dubiis jam locis parum auctoritatis uni alterive lectioni ex iis accedat. Optimis vero libris adnumerandum esse Memmianum, Vaticanum, Mediceum tertium, inter editores Suetonii constat. Quum Vaticani et Medicei collationem acquirere nondum potuerim, atque Memmianus perisse videatur, maximi momenti erat Gronovii editio, quae Lugduni-Batavorum prodiit a. 1698 atque ibidem a. 1745 repetita est. Haec enim editio accuratam codicis Memmiani collationem a Salmasio factam, a Gronovio tunc primum publice propositam continet. Neque tamen tacendum est esse locos, quibus Casauboni et Turnebi diserto testimonio Salmasius arguatur non satis intendisse ubique oculorum aciem: hi tamen sunt ejusmodi, ut eum fortasse codicis conditio excusare possit. Hac igitur editione, quae ipsius codicis jacturam quodammodo tolerabilem faciat, maxime usus sum in verbis Suetonii indagandis; ita ut codicem Memmianum omnibus dubiis locis sequar, nisi ubi graviores rationes suadent, ut ejus auctoritatem deseramus: atque nisi forte ex Italia novas easque praestantiores opes criticas nancisci potuero, contentus ero varias lectiones, quas Viri Docti in editionibus suis proposuerunt, addidisse; iis, quae ipse ex codicibus laudatis hausero, tum modo additis, ubi operae pretium visum fuerit; inutile enim putarim suffocare quasi et obruere copiam lectionum memoratu dignarum erroribus malisque scripturis codicum deterioris notae. Ut tamen omnes veritatem eorum, quae de hisce codicibus dixi perspicere possint, totam variarum congeriem hic in fine speciminis adjiciam, ampliusque specimen editioni ipsi subjungam. Verum enim vero quum magnopere optandum sit, ut in editione tanti laboris atque voluminis etiam textus emendatio quam perfectissime, absolvatur, summe rogo omnes VV. DD., ut si in acquirendis subsidiis criticis me adjuvare possint, aut specimine codicis a me nondum collati, aut saltem indicio, ubi tale quid lateat, quave via eo penetrari possit, hoc facere pro sua humanitate velint. Sunt tamen et editiones quaedam collatione fortasse haud indignae, quae ubi asserventur nescio; eas ex indice

editionum Suetonii in Jahnii Annalibus Philologicis a. 1834 a me evulgato excerptas hic denuo proponere non dubito, sperans fore, ut quarundam certe indicium ad me perferatur. Sunt vero hae fere: Romana princeps a. 1470; Romana Aleriensis ejusdem anni; Venetiana Aldina a. 1519 (in editione scriptorum hist. Augustae); Florentina Juntina a. 1519; Lugdunensis Gallica a. 1520; Coloniensis 1525 (cum scriptoribus hist. Aug.); Londinensis a. 1732.

In annotatione critica his fere signis usus sum: =, ubi significare volui librum non diserte laudatum, cujus tamen scriptura ex ipso editorum silentio conjici probabiliter possit. Uncis ( ) inclusi Casauboni, dimidiatis ⌊ ⌋ Burmanni, quadratis [ ] Oudendorpii verba, ubi opus erat scire, cujus haec essent; nam saepe non singulos libros laudant, sed aut „*omnes*" aut „*plerosque*" suos ita habere dicunt. Habuit vero Casaubonus Excerpta *Pithoei* et *Lissaei* ex codice incerto; *Viterbiensem*, *Memmianum*, *Cujacianum*, quattuor *regios* codices, aliosque non satis accurate distinctos. Burmannus Excerpta Lipsiana ex codice *Cujaciano;* Salmasiana ex cod. *Memmiano; Vossiana;* excerpta ex codice *Harlemensi*, *Copesiano*, *Hulsiano* et *Perizoniano;* editiones *Romanas* duas anni 1470. *Venetas* tres (1471. 90. 93). *Mediolanensem* 1475; *Bononiensem* 1506; *Lugdunensem* 1508; *Parisiensem* 1515; *Juntinam* 1510; *Aldinas* 1516 et 1519; *Basileensem* 1518; *Stephanianam* 1543; *Ursinam* 1595. Oudendorpius denique adhibuit Excerpta ex cod. *Perizoniano*, *Memmiano*, *Cujaciano*, *Vossiana* ex uno Mediceo, *Cortiana*, Gronoviana ex *Mediceis tribus*, *Politiana*, *Pinelliana*, ipsum codicem *Harlemensem* et accuratam collationem codicum *Vindebonensium* duorum, numero 1 et 2 insignitorum: editiones porro *Romanam principem* et *Romanam Aleriensem* sive *secundam* atque *Mediol.* 1494. Alios quos VV. DD. rarissime laudant hic praetermisi; laudatos ideo enumeravi, ut quisque statim intelligat, qui libri designentur, ubi Burmannus aut Oudendorpius suos „*omnes*" aut „*reliquos*" ita habere testantur.

IV. **C**eterum composita seditione civili Cornelium Dolabellam consularem et triumphalem virum

Dolabellam Memm. Vind. C. Par. 1. 4. 5. 9. 16. 17. 19. 21. 22. Vr. 2. Ber. 1. = Fouc. = Steph. *Dolobellam* (Constanter libri veteres scripti, cusi, ut apud Plut. et alios Graecos) [Copes. et edd. pr. ferme omnes ut et alibi] [Mscr. et edd. sec. xv. aliaeque hic et fere semper] Vind. B. Par. 6. 7. 8. 10. 11. 12. 14. 15. 18. 20. Vr. 1. Ber. 2. Med. 75. — *Delobellam* Par. 2. *Dolebellam* P. 13. *Labellam* Par. 3. (Vind. A. a medio fere sexto capite demum incipit) *triumphalemque* pro *et tr.* Vind. B. Par 8. *virum* deest in Vatic. Med. 3. Par. 5. 16.

IV. 1. DOLABELLAM, non *Dolobellam* scribendum esse ex lapidibus et nummis constat; cf. Aldi Manut. Orthogr. p. 286. (qui recte statuit esse hoc nomen eandem vocem atque Deminutivum dolabrae, quo Columella saepius utitur); Rasch Lex. rei numm. Eckhel. Doctr. numm. Tom. IV, pag. 139 seq. De scriptura codd. cf. Drakb. ad Liv. epit. 119; Ruhnken. ad Vell. II, 43. 3; Spalding ad Quint. IV, 2, 132. —

De *permutatione* nostri Dolabellae cum altero ejusdem temporis cf. Ascon. ad Scaur. p. 26 ed. Orell. „Ne „forte erretis et eundem hunc Cn. Dolabellam putetis esse, „in quem C. Caesaris orationes legitis: scire vos oportet, „duos eodem tempore fuisse et praenomine et nomine et „cognomine Dolabellas. Horum igitur alterum Caesar ac„cusavit, nec damnavit; alterum M. Scaurus et accusavit „et damnavit.“ Idem fere sed brevius Ascon. ad Cornel. p. 73 dicit. *Noster Dolabella* cos. fuit a U. 673 cum M. Tullio Decula, Sulla Dictatore; e consulatu in Macedoniam profectus de Thracibus triumphavit; cf. App. b. civ. I, 100; Cic. leg. agr. II, 14, 35; in Pis. 19. *Alter Dolabella* eodem anno, quo ille consul, praetor erat; cf. pr. Qu. 8. Gell. xv, 28. Inde in Ciliciam profectus C. Verrem legatum pro quaestore habuit, hujusque ipsius testimonio damnatus est Scauro accusante; cf. Zumpt. in Verr. II, 1, 16. 17; p. 126. et ib. I, 4 Ascon. — Hos duos Dolabellas Asconius in Caecil. 7. p. 110 et Verr. II, 1, § 41 p. 169 ed. Orell confundit, reprehensus ideo jam a Perizonio in Animadv. histor. c. 2 p. 54; verum denique vidit Madvigius in dissertatione de Asconio p. 109, qui hunc Scholiastem ineptum hominem recentioris aetatis, neque Asconium esse probavit. Idem error videtur Aurel. Victorem tenere in L. de vir. ill. c. 82 „mox Dolabellam judicio oppressit (Caesar).“ — De celebritate hujus *accusationis* cf. infra c. 55 et Quint. XII, 6, 1. Absolutus est Dolabella defensoribus Aurelio Cotta et Hortensio; Cic. Brut. 92, 317. Val. Max. 8, 9, 3. Plut. Caes. 4. Vell. II, 43, 3. De oratione Caesaris, quae plures habebat actiones cf. A. Gell. 4, 16 et verba quaedam Dolabellae respondentis infra c. 49. — De *more* hujus aetatis nomen sibi parandi ex celebri aliqua accusatione cf. Cic. pr. Coel. 30, 73; Casaub. ad Apul. Apolog. p. 309 ed. Altebg. „Neque gloriae causa me accusat, ut M. Antonius Cn. „Carbonem, C. Mucius A. Albucium, P. Sulpicius Cn. Nor„banum, C. Furius M. Aquilium, C. Curio Q. Metellum. „Quippe homines eruditissimi, juvenes laudis gratia pri„mum hoc rudimentum forensis operae subibant, ut ali„quo insigni judicio civibus suis noscerentur. Qui mos... „apud antiquos concessus, diu exolevit.“ Adde Pollet. For. Rom. II, 6 p. 137. — Alia quaestio est de *tempore* hujus actionis. Suetonius dicit eam composita Lepidi seditione institutam esse, ergo a. 676 ex. aut 677 in. (cf. supra ad c. 3), cum Caesar esset annorum XXII (cf. ad c. 1): Plutarchus vero Caes. 4. et Vell. II, 43 aliquanto post cum ex insula Rhodo redisset, eam ponunt: Auctor dialogi de caus. corr. eloqu. c. 34 Caesarem accusasse anno aetatis uno et vigesimo refert, qui annus in a U. 674 ex. aut 675 in. incidit. Bene tamen Casaub. animadvertit, auctorem Dialogi annum 674 non potuisse in animo habere, quod eo anno Dolabella etiamtum in Macedonia erat: videtur ergo hic auctor natales Caesaris ad coss. Antonium et Postumium referre et annum vigesimum primum pro uno et viginti jam plenis dixisse, ita enim cum nostro consentiet. cf. Drumann Röm. Gesch. T. II p. 561.— Videtur denique Caesar jam ante Dolabellam postulatum publice dixisse pro Graecis contra Antonium; cf. Ascon. ad or. in tog. cand. p. 83 et 84 ed. Orell.: dubium tamen fueritne adolescentulus ille Caesar an Crassus.

2. VIRUM ejicere vult Torr. quoniam a Vatic. abest;

repetundarum postulavit, absolutoque Rhodum secedere statuit et ad declinandam invidiam et ut per otium ac requiem Apollonio Moloni, clarissimo tunc dicendi magistro operam daret. Huc dum

Apollonio Moloni Libri mscr. Torr. omnes. (quattuor regii) Pal. 1. 2. [antt. edd.] Memm. [Medicei, Voss. Vind. 1. 2. Cort. Medic. unus (quomodo igitur antea Medic*eos* laudare potuit?) Rom. 1.] Wolfii omnes (i. e. Guelf. duo et Bern. duo et Haganus) Ber. 2. Par. 2. 4—7. 10—13. 16. 19. 21. (Huc faciunt quoque, qui *Miloni* habent).

Ap. Molonis Pal. 3. [Ald. utraque. Steph. al.] = Copes. Hulz. Periz. Cujac. Medd. duo? Polit. = *Ap. Myloni* Rom. 2. Lugd. Med. 75. Par. 1; (sequentes per i) Harl. Fonc. Vind. B. C. Par. 3. 8. 9. 14. 15. 17. 18. 20. 22. Vr. 1. quoque, quod Schneiderum fugisse videtur. Omittit cognomen Vr. 2. Ber. 1.

defendit Burm., quum vim habeat ad significandam temeritatem Caesaris, etiamtum adolescentis: [at si hanc vim inesse voluisset scriptor, non dubito quin ita collocavisset: *virum cons. et tr.*]. Ex locis, quos affert in comparationem, unus tantum, Tit. 6. ejusdem generis est, ut nomen viri praecedat; Aug. 30. et Claud. 29. dissimiles sunt.

3. REPETUNDARUM: accusavit eum lege Cornelia de repetundis, quae tum valebat; cf. Ern. ind. leg. Sigon. de judic. II. 27. Klenze fragm. legis Servil. repet. (Berol. 1825) Praef. p. XII sqq. Primam legem de repetundis tulisse dicitur L. Piso Frugi, tribunus pl. Censorino et Manilio css. a. U. 605: cf. Cic. Brut. 27. Verr. III, 84, 195. IV, 25, 56. de Off. II, 21: ea lex Calpurnia fuit, eadem prima quaestio perpetua. At si Valerio Mx. VI, 9, 10 fides habenda esset, L. Lentulus consularis repetundarum damnatus esset lege Caecilia. Consul fuit Lentulus a. U. 598, idem post damnationem Censor factus a. U. 607; quare ne lege Calpurnia quidem eum damnatum esse verisimile est, biennio ante lata, ita ut recens ex damnatione esset censor factus: nedum jam alia lex lata esset; neque legis hujus Caeciliae ab ullo scriptore mentio fit. Nihil tamen est quod miretur Sigonius l. l. causam repetundarum delatam esse a legatis Macedonum ad Senatum, a. U. 613 (cf. Liv. ep. 54), quum quaestio perpetua jam instituta esset: legati enim ipsi praetorem adire non poterant. Cf. Dirksen Civil. Abhandlg. Tom. 1, 2, p. 120. quem si nosset Rein (Röm. Privatr. p. 222) non dixisset patri *a populo* judicii domestici potestatem esse mandatam.

4. POSTULAVIT i. q. accusavit, usitatissima significatione, cf. Ern. clav. Cic.; neque tamen primaria aut unica. Alia vis hujus vocabuli est Ner. 15 in. ubi vide Comm. (cf. interea, sis, Ulpian. in Dig. III, 1, 1. 1 § 2. Brisson. de verbor. sign. s. h. v. cui adde Plin. ep. 10, 17; pan. 56, 6. 60, 2. et locos Cic. congestos a Rein. Röm. Privatr. p. 467 et 499).

5. APOLLONIO MOLONI. Duos fuisse Apollonios rhetores Rhodios, utrumque Alabandensem, utrumque Meneclis discipulum ex Strabone XIV, 2 p. 199 et 207 ed. Tauchn. cognoscimus, quanquam hic nostrum uno nomine *Molonem* tantum dicit, uti neque Cicero ipse unquam Apollonii nomine utitur, cum de praeceptore suo Molone loquitur; cf. Brut. 70, 245. 90, 312. 91, 316 et Ellendt ad 89, 307: ad Att. II, 1, 9): item Valer. Max. 2, 2, 3. Fuisse vero huic Moloni etiam Apollonii nomen testatur Schol. Bob. ad or. pr. Planc. p. 270 ed. Orell. et locupletissimus hac in re testis Quintil. XII, 6, 7 et III, 1, 16. *Eundem* a Caesare quoque auditum esse diserte testatur Plut. Caes. 3. Item noster Apollonius Molon commemoratur a Josepho in Appion. l. II, p. 1065–80 ed. Colon. Vide Rualdi Animadv. ad Plutarch. XXVIII. — Cf. etiam Westermann Gesch. d. Bereds. Th. I. § 81, 9. 10 Th. II. § 62, 16-18. — *Alter ille*, Μαλακὸς cognominatus, quem Ern. in clav. Cic. aliique cum nostro confundunt, quanquam aequalis fere Molonis, multo tamen grandior natu fuisse videtur, quandoquidem verisimile est, eundem esse quem Scaevola Rhodi audivisse se Praetorem dicit; cf. Cic. Or. I, 17, 75; ergo annis fere quadraginta ante quam Cicero Molonem audiit: consul enim Scaevola fuit a. U. 637: idem fortasse qui Alabandensis Apollonius a Cicerone Or. I, 28, 126 nominatur, et de Inv. I, 56 rhetor Apollonius; cf. Clinton. fast. Hellen Olymp. CXXIV. p. 147 et 157. Suo jure igitur Spalding. ad Quint. III, 1, 16 Casaubonum castigat suspicantem a Quintiliano permutatos esse Molonem et Apollinum Molonis filium sive *Μαλακόν*; non enim verisimile est Quintilianum in praeceptore Ciceronis errare; neque Strabo, ad quem provocat, neque alius ullus scriptor prodit Molonem et Apollonium Molonem sive Molonis duos diversos fuisse rhetores, aut *Μαλακὸν* filium Molonis fuisse. Induxit Casaubonum varietas scripturae nostro loco et in Plut. Caes. 3. Cic. 4. ubi Genitivum *Molonis* codd. quidam habent. At ne interest quidem, Apollonium Molonem an Molonis dicas; hac enim aetate Graeci patrium

hibernis jam mensibus trajicit, circa Pharmacussam insulam a praedonibus captus est mansitque apud eos non sine summa * *dignatione* prope quadraginta dies cum uno medico et cubiculariis

Pharmacussam Memm. Torn. [2 Med. Pal. 3. Voss. Vind.] uterque? Rom. 1. (quidam mscr.) Par. 3. 12. 16. 17. *Pharmacusam* Vat. Pal. 1. 2. Fouc. Vind. B. C. Vr. 1. 2. Par. reliqui. Ber. uterque. *dignatione* ex conj. Ursini et Casaub.: Codd. omnes *indignatione.*

summa deest in Vind. C. *magna* (pro *summa)* Cort. Vind. B. *non* omittit Par. 20.

nomen saepe eodem casu apposuerunt (cf. Fabric. bibl. Graec. ed. Harles. IV, pag. 273; Romani contra more Graecorum vetere aliquando utebantur, uti Hasdrubal Gisgonis, alia; Liv. XXV, 17. 26. 35. XXVIII, 12, ubi cf. Gronov. et Oud. ad Lucan. III, 213. Noster infra c. 50. Schlickeisen in Programm. gymnas. Mühlhus. 1830. —

Huc dum—trajicit. Quam diversam temporum causarumque rationem Plutarchus nobis referat, Casaubonus admonet. Is enim narrat Caesarem inquisitoribus Sullae elapsum se contulisse ad Nicomedem; inde discedentem a piratis esse captum; domum deinde revocatum Rhodum venisse ad Apollonium, indeque in urbem reversum accusasse Dolabellam. De Lepidi seditione autem nihil. Polyaenus 8, 23, 1 captum a piratis dicit, cum ad Nicomedem proficisceretur. Valerius Max. 6, 9, 15 „inter primae juventae initia *privatus* Asiam petens" quibus in verbis Baumg. consensum cum Suetonio inesse putat, sed male; nam vix Valerius *primam juventam* commemorasset, nisi ante, non post, militiam in Asia peractam haec accidisse putasset; atque *privatus* Caesar tum quoque fuit, cum Thermo contabernalis esset. Multo tamen verisimilior Suetonii quam Plutarchi narratio; credi enim non potest, Caesarem exigere a provincialibus tantam pecuniam (vide nr. 14.) et classem eorum deducere potuisse tum, cum ipse quasi exul et profugus esset. Narrant rem praeter laudatos Vell. II, 42. Fenestella ap. Diomed. ed. Putsch. I, p. 361, in minutiis tantum diversi; cf. infra Nos ad c. 74.

7. Pharmacussa rectius per duplex *s* scribi Buttmannus docet in Gr. Gr. ampliore II, p. 387; sunt enim haec nomina Adjectiva feminini generis et terminata in οεις, οεσσα, οεν. Casauboni regula, scribendum esse aut Pharmacusam aut Pharmacoessam, uti Prinoessam in Plin. hist. n. IV, 12 (19), ratione caret; nisi forte hoc vult, in diremta syllaba *oëssa* aliquando metri causa *s* duplicandam esse, in contracta vero *usa* hoc non esse opus. Consentire tamen in simplici *s* videntur codices Graeci quoque in Plutarchi Caes. 1; duplicem vero consonantem habent Stephanus Byz. s. h. v. multaque similia nomina apud Plin. Hist. nat. IV, 12 (19—26). — Ceterum haec insula supra Miletum sita non est confundenda cum duabus Pharmacussis Salamini vicinis, de quibus cf. Strabon. IX, 1, 15 p. 239 ed. Tauchn. et Steph. Byz.

8. Praedones saepe piratae appellantur, uti Cic. pr. Sext. 20, 45. 31, 67 ubi cf. Graev. edit. et Heins. ad Claud. bell. Gilder. 69. — Bellum vero cum his piratis a Pompejo demum finitum notissimum est.

9. Dignatione. Vox *indignatione* plurimis interpretibus videbatur inepta; quem enim captivum apud piratos diu sine indignatione mansurum fuisse? Ideo Ursinum et Cas. secuti Gruterus, Burm., Wolfius, Ruhnken. ad Vell. 42 *dignatione* scribendum esse censuerunt, quam explicant de honore, dignitate, qua piratae eum tractarint. Casaubonus *indignationem*, si quis retinere velit, putat esse contemtum, οὐκ ἀξίωσιν, καταφρόνησιν; provocans ad Plutarchi verba καταφρονητικῶς εἶχεν· sed hujus significationis exempla desunt. — Oud. et Ern. et Barth. in Advers. 45, 1 defendunt *indignationem*, quae nimirum maior fuerit ob diuturnam invitamque commorationem ac propterea a Suetonio commemoretur, ne quis putet Caesarem tamdiu *volentem* ibi mansisse (at cui hoc in mentem venerit?). Addunt *dignationem* nunquam significare reverentiam alicui praestitam; sed esse vel dignitatem, auctoritatem, quae viro gravi insit, vel honorificum affectum, quo major dignetur minorem atque hunc etiam muneribus ornet. At vero eorum explicationem vocis *indignatio* languere, nemo non sentiet; praesertim cum Suetonius istam moram tam breviter significet potius, quam describat, atque recte Wolfius monet, verba *non sine* indicare aliquid, quod minus exspectes, nimirum Caesarem inter piratas suam servasse dignitatem: aptissima igitur huic loco ista significatio auctoritatis, dignitatis, quam inesse illi ipsi concedunt. Eadem vi legitur apud Nostrum Vesp. 4 „Sortitus Africam integerrime nec sine magna dignatione administravit, nisi quod Adrumeti seditione quadam rapa in eum jacta sunt" quae indigna erat tractatio, dignitatisque violatio; atque hoc ipso loco et Domit 2. codd. quidam *indign.* exhibent. *Dignatio* omnino scriptori nostro vox familiarissima, cf. Baumg. Clavem.; neque minus ceteris hujus aetatis scriptoribus cf. Justin. 28, 4, 10 „Cleomenes

duobus. Nam comites servosque ceteros initio statim ad expediendas pecunias, quibus redimeretur, dimiserat. Numeratis deinde L talentis expositus in litore non distulit, quin e vestigio classe

initio Memm. Vind. C. Paris. 1—4. 6. 7. 12. 15—18. 20. Vr. 1. 2. Ber. 1. 2. Med. 75 = Copes. Huls. Cujac. Vind. 1. 2. Cort. Medd. Polit. Pall. tres. Fouc. Rom. 1. =

In initio Harl. Periz. Voss. Par. 9. 10. 13. 14. 19. 21. 22. (5. *municio*). Edd. Ven. tres. Bon. Par. Junt. Ald. Cald. Steph. al. — *Deest initio* in Vind. B. Par. 8.

dimisit Periz. Harl. Par. 10. 13 (hic ex correctura) Ber. 1. Edd. Ven. tres. Bon. Par. Cald. al. *obmiserat* Vr. 2.

diu in summa dignatione regis (Ptolemaei) vixit": adde Liv. et Tac. Indices. Ciceronis tamen loco ad Att. x, 9, §2. pro *dignatione* fortasse *dignitas* ex cod. Bessar. restituenda est. — Burmanni conjecturam „non nisi summa in dignatione" Wolfius absurdam vocat. Julii Celsi vero auctoritatem, qui in vita Caesaris scribit „non sine tristitia et indignatione" nemo jam praetexuerit, ex quo Schneiderus omnibus probavit, hujus vitae auctorem Petrarcam esse.

10. PROPE XL DIES : duodequadraginta auctore Plutarcho.

11. CUM UNO MEDICO. Robortellus Adnott. L. I. c. 21. ex Plutarchi verbis (Caes. 2. μεθ᾽ ἑνὸς φίλου) conjicit legendum esse *amico :* atque Torrentius addit eodem errore infra Aug. 91 et apud Capitol. in vita M. Anton. 21. *medicos* pro *amicos* scriptum esse. Sed inanis haec mutandi causa. Jam Casaub. monuit ne omnes quidem medicos servos fuisse, sed multos ingenuos e Graecia quaestus causa Romam venisse (cf. Aug. 42): multos etiam libertos medicinam exercuisse, atque hos ipsos esse, quos Caesar civitate donaverit (c. 42): deinde medicos saepissime amicorum loco habitos esse, id quod Robortello incredibile videbatur, cf. Tac. Ann. IV, 3. „Eudemus amicus ac medicus Liviae." Sen. de benef. IV, 16 in. Ita in Aug. vita 91. amicus ille, cujus somnio Augustus monebatur tabernaculo exire, Artorius medicus erat, testibus Vell. II, 70 Dion. 47, 41. Valer. Max. I, 7, 1, idemque a Plut. Ant. 22. et Brut. 41 φίλος appellatur. Inepte prorsus Capitol. l. l *amicos* scribere vult Torr. „Caesarem exsecto sub aure tubere septennem amisit, quem non plus quinque diebus luxit, consolatusque etiam *medicos* actibus publicis se reddidit." Nemo enim non videt, Marcum patrem consolatum esse medicos ob infelicem curationem desperantes timentesque. Omnium vero ineptissime quidam Athenaei locum (VI, 21. p. 273 ed. Cas.) huc referunt, ubi res in expeditione Britannica gesta narratur. (Cas.) Bene Oud. totum locum nostrum ita explicat: dimisit comites omnes retento uno medico amico, servosque omnes retentis duobus cubiculariis. De medicorum honore cf. etiam, sis, Scaevolam in Dig. l. 43. tit. 2. l. 40.

12. INITIO. Praepositio *in* etiam alibi inepte additur, uti Aug. 81. Domit. 20. Frontin. Str. I, 8, 9; cf. Intt. ad Liv. IV, 17 ex. et Oud. in Miscellan. observ. Vol. IX, p. 213. ad Veget. Proleg. L. IV. Additur tamen interdum, ubi *initium* significat partem loci; cf. Quint. I, 5, 34. „*Igitur* in initio sermonis positum."

13. EXPEDIENDAS. Verbum simpliciter est *conficere*, *comparare* quum res difficultatem habet; cf. Caes. VII, 36. *rem frumentariam expedire*. Proprium est imprimisque Ciceronianum verbum in re pecuniaria; cf. ad Att. XVI, 6, 3. bis. Similiter *explicare* in re eadem, ut *explicare nomen*. *Expedire nomen* Noster in Gramm. 11 extr. cf. Tiber. 48. Phaedr. I, 16, 2. (Ern. W.)

14. DIMISERAT alium in aliam Asiae urbem, auctore Plutarcho; non enim sua, sed *publica civitatum* redemtus est pecunia, teste Vellejo. Idem factum in pluribus Romanis, qui illa tempestate in piratarum manus inciderant. Notum de P. Clodio, qui captus misit ad Ptolemaeum Cypri regem ad expedienda lytra cf. Dion. 38, 30 Strabon. XIV, 6, ex. p. 246 ed. Tauchn. Quod igitur Caesar XV talenta postulantibus piratis (Valer. Max. 6, 9, 15) L sua sponte obtulit, non fuit haec liberalitas, sed summa confidentia civis ἀγερώχου, sociorum populi Rom. fortunis insultantis. (Cas.) Polyaen. 8, 23, 1 dicit παρακαλῶν (τοὺς Μιλησίους) χρήματα ἐπιδανεῖσαι. Idem narrat latrones a Caesare vino medicato ebrios oppressos esse.

15. NON DISTULIT, QUIN E VESTIGIO: duplex celeritatis significatio; inest ergo Pleonasmus, quanquam grammatice *non dist.* ad persecutionem, *e vestigio* ad classis deductionem sit referendum. Ita in Tiber. 68 *paene* ad tempus, *prope* ad valetudinem referendum est. Tales vero Pleonasmos quaevis lingua permultos habet, Nostroque inprimis sunt familiares; cf. Baumg. in Coroll. ad Clav. Sueton. p. 841 sqq. Oud. ad Aug. 66. *exegit invicem benevolentiam mutuam*. Aug. 46. *quodam modo pro parte aliqua*. Galb. 10. *repente ex inopinato*.

16. CLASSE DEDUCTA. Pseudo-Ascon. in Verrin. II, 1 § 86 p. 183 ed. Orell. „Habent enim Milesii praesidia-

deducta persequeretur abeuntes ac redactos in potestatem supplicio, quod illis saepe minatus inter jocum fuerat, adficeret. Vastanti regiones proximas Mithridate, ne desidere in discrimine sociorum videretur, ab Rhodo, quo pertenderat, transiit in Asiam, auxiliisque

illis saepe = Memm. Perix. Harl. Med. 2. Pall. tres. Vind. 1. 2. =. Vr. 1. 2. Vind. C. Par. 4. 8. 9. 10. 13. 14. 19. 20. 22.

saepe illis Copes. Voss. Med. 1. 3. Cort. Vind. B. Fouc. Ber. uterque. Par. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 11. 12. 15—18. Steph. Med. 75. Unde Oud. Torrentianos libros huc numeret nescio; Torr. ipse edidit *illis saepe*. Par. 21. *saepe* omittit.

per jocum (Membranae quaedam) sed nullus diserte laudatur. In Harlem. et Copes. et Ber. 2. haec desunt. *inter jocos* Par. 11.

ab Rhodo Memm. Perix. [edd. priscae] Vind. C. Ber. uterque. Vr. 1 = Fouc. = Par. reliqui. *a Rhodo* Vind. B. Vr. 2. [Ald.] Steph. Par 5. 8.

riam classem ex foedere praebendam populo Romano maritimis necessitatibus."

17) INTER JOCUM. Verum quidem *per jocum* eodem sensu dici posse; cf. c. 20. Ner. 16. Tit. 3. Catull. 50, 6 (idem 12, 2 *in* joco atque vino): at nihil mutandum; saepe enim confunduntur Praepositiones *inter* et *per*; cf. Drakb. ad Liv. 35, 11, 4. Non displicet Oudendorpio Burmanni conjectura *interminatus per jocum* praesertim si *saepe illis* pro *illis saepe* legatur. Recte tamen Duker. ad Flor. II, 6, 41 *inter jocum* defendit i. e. inter jocandum, dum jocabatur (Plut. σκώπτων παίζειν); notissima nunc vel tironibus significatione, cf. Passerat. ad Propert. 3, 8, 21. Gronov. Observ. IV, 20 extr. Intt. ad Phaedr. 2, 7, 8. Oud. ad Caes. b. G. I, 36 extr. Burm. *per* et *inter* parum differre censet, cum *inter lacrymas* et *per lacrymas* eodem sensu dicamus (cf. Phaedr. l. l. et Valer. Flacc. I, 767.) Saepe quidem eandem fere vim habet utrumque, at *per* rationem agendi affectumve animi solet addere; *inter* temporis aequalis notionem: ita dicitur plerumque *per vim, injuriam; inter caedem, tumultum.*

18) DESIDERE i. e. remisso animo esse atque otiose agere, unde *deses* et *desidia* appellata est. Ita *sedére* apud Cic. non semel et Virg. Georg. 3, 456. Hor. epist. I, 17, 37. Inde hoc verbum etiam in luctu usitatum de iis, qui mortuis feriabantur; Tibull. II, 6, 33 *illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo.* Propert III, 14, 24. Virg. Aen. IX, 4. Atque ita intelligendum illud quoque *sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus* (ib. VI, 617), nam peccati poenitentia lugebat, uti Plinius XXXIV, 14 (40) Athamantem *residentem poenitentia* dicit, quo loco Torr. Accusativum *poenitentiam* defendit Plauti loco Capt. 3, 1, 8 *Venter gutturque resident esuriales ferias* i. e. sedendo agunt. Ita Cic. de legg. II, 22, 55 *residentur mortui*, quod Górenz. explicat *quieti dantur*. Porro hinc *resides animos, viros, populos* dicit Virg. Aen. I, 722, VI, 813, VII, 693. et *aquam residem* opponit *aestivariis* Varro R. R. 3, 17 extr. Eodem sensu Charisius III, 6 ex Cic. oratione pr. Rosc. Amer. 8, 21 *sederent* affert pro eo, quod nunc legitur, *redirent*. (Torr.)

19) NE — VIDERETUR. Quasi ad privati hominis curam salus reipl. pertineret: fecit hoc sola ambitione et gloriae cupiditate impulsus. Non sine causa igitur Junius, Asiae procos., arrogantiae ejus succensebat, ejusque conata destituit, cf. Vell. II, 42. (Cas.)

20) AB RHODO. *Ab* retinendum, cum saepissime non solum Suetonius, sed etiam ipse Cicero *ab* ante consonam liquidam maxime posuerint: cf. mox c. 6. ab *regibus;* Aug. 94. et Dom. 11. *ab re*. Görenz. ad Cic. de fin. p. 273 et 404. Zumpt. ad Verr. p. 22. 357. 492.

De *praepositione insulae nomini addita* Baumgart. jubet nos conferre Clavem suam et Oud. ad Caes. b. civ. I, 11, addens *„ita saepissime scriptores."* Sed hoc ipso loco Oudend. tam negligentem praepositionis observationem castigat in Clarkio, recteque docet non sine causa addi solere Praepositiones nominibus insularum urbiumque. Fit hoc maxime in re militari, cum urbs, *ex cujus regione* imperator cum exercitu proficiscatur, indicatur, non enim *in* urbibus, sed *ad* urbes castra habebant; atque eadem ratione *ad* ponitur, ubi non introitus in urbem, sed accessus ad urbem significatur. Ita *ad* scribendum ex optimis codd. Caes. bell. G. I, 7. VII, 58. b. civ. II, 17. 40. III, 100. b. Alex. 36. b. Afr. 33 (ubi *ad* de eo, qui urbe exclusus est; de illo autem, qui occupavit eam nudus Accusativus legitur). Aliquando tamen variatur, uti bell. civ. III, 101 „dimidiae parti (classis) praeerat praetor „*Vibone* ad fretum, dimidiae Pomponius *ad Messanam;*

contractis et praefecto regis ex provincia expulso, nutantis ac dubias civitates retinuit in fide.

V. Tribunatu militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit,

nutantis Memm. vid. quae infra disputavimus.

Tribunatu Pal. 1. 3. Vind. C. Par 5. 9. 11. 16. 17. 18. 20 (additum inepte *gessit*). 22. Ber. 2. Steph. Med. 75. = Memm. at videtur Salmasium lineola supra *u* posita fugisse =.

Trib. mil. (primoribus tantum litteris). Hanc antiquam lectionem dicit Torrentius, (quae tamen in nullo cod. apparet) indeque conjicit *tribunus militum* id quod habent omnibus litteris Vind. 1. Paris. 13. 19. 21. 4 (*tiburnus*). 14 (*tribunos*).

Tribunatum (Ita diserte antiquissimus regiorum et Memm.) Accedit de Memm. testis Turnebus Adversar. XXIV, 14. Praeterea Pal. 2. Copes. Cort. Vind. B. Vr. 1. 2. Par. 1. 2. 3. 6. 7. 8. 10. 15. Fouc. Ber. 1. Med. 91. Rom. 1. 2.

Tribunatus Vind. 2. Par. 12. (ex consensu frequentissimo).

„prior Cassius ad Messanam navibus advolavit" ubi *Vibone* propter sequens *ad fretum*. *Ab* vero scriptum est Caes. b. Gall. VII, 58. 59. 60. 80. b. civ. I, 78 „XXII dierum frumentum *ab Ilerda* efferre jussi erant" non enim Ilerdae, sed ad Ilerdam fuerat, ideoque C. 69 *ad Ilerdam reverti* volunt milites (c. 73 tamen *Ilerdam reversi* legitur) III, 12. 80. Liv. 5, 4. 21, 10. Cic. epp. fam. IV, 12 in. ter. Sueton, Caes. 35. 58. Aug. 17. Tib. 75 *a Miseno* (nam mortuus erat in villa ad Misenum, cf. c. 73). Variatur tamen hic quoque; accurate enim loquitur Caes. b. c. II, 28, „legiones, quas *Corfinio* receperat Caesar" nam Domitianae sunt cohortes, quae in ipsa fuerant urbe: easdem tamen copias I, 25 dicit *a Corfinio* in Siciliam missas; fortasse ideo, quod antequam mitterentur, in castra jam erant receptae. Bene Oud. ejecit *ex* (Caes. b. civ. I, 15) ante *Cingulo;* cum enim urbs ipsa significatur, praepositio est soloecismus, cf. Quintil. I, 5, 38: pariter *in* delendum ante *Lutetiam* Caes. VI, 3. — Porro *ab* etiam usurpatur in distantia significanda, et principiis spatii cujusdam constituendis; cf. Caes. b. civ. I, 18 „Oppidum *a Corfinio* VII millium intervallo abest." II, 23. Hisp. 32. Sueton. Aug. 100 „*a Nola* Bovillas usque (corpus deportarunt)" mox: *a* Bovillis. Tiber. 11. *Claud.* 17 bis. Vesp. 1. et 8. Cic. ad fam. XV, 3 „*ab Epheso* in Syriam profectus" (fuerat autem in urbe, nam sine exercitu venit); pr. Planc. 40. 41. Usitata omnino praepositio apud verbum *abesse*, ita Sall. Cat. 40, 5 „Brutus *ab Roma* aberat." Cic. fam. IV, 12. „non longe a Piraeo aberam." Insolentior vero usus Praepositionis Liv. 5, 52 „Juno transvecta a Vejis. Ib. 42, 18 et 23 „legati ab Roma venerant." Insolentius etiam illud Caesaris b. civ. II, 18 „Naves *in* Hispali faciendas curavit" consensu omnium codd. cf. Ter. Eun. III, 4, 1 *in Piraeeo*. — Alia quaedam dabit Zumpt. Gramm. §. 398. Ramsh. p. 397 et 452. Corte ad Sall. Cat. 40. 5. Oud. ad Front. I, 3, 6. Voss. de constr. c. 40. Perizon. ad Sanct. Min. IV, 6. p. 758. Priscian XV, 2, 9. Argenteae, quam vocant, aetatis scriptores saepius addunt Praepositionem sine idonea causa; ita Noster Aug. 95 „*ab* Apollonia reverso." Nostro quidem loco Praepositio ideo fortasse addita est, quia Caesar tum quidem non pervenerat Rhodum, sed ex itinere, audita de Mithridate fama, in Asiam reverterat atque postea demum in urbem rediens (cf. Plut.) Rhodum appulit; certe in verbis *quo pertenderat* nulla commorationis in insula jam factae significatio.

21. PRAEFECTO — EXPULSO. Adverte Caesaris facinus a nullo scriptore narratum. (Cas.)

22. NUTANTIS. Ad oram cod. Memm. adjectum est „ubique Suetonius Accus. Plur. tert. decl. in *is* ponit" neque tamen in ipso libro ubique locum habet (Cas.) Sic tamen teste Graevio hic liber c. 7. *Gadis*. 27 *commeantis*. 28 *absentis*. 66. *subsequentis*. 31. *cohortis*. 76. *pluris* et *tris*. Cf. Gell. XIII, 9. Serv. ad Virg. Aen. 108. Prisc. VII, 5. et copiose haec tractantem Noris. in Cenot. Pisano IV, 3; adde Zumpt. Gramm. § 68 Adnot. —

V. 1) TRIBUNATU. Tales Ablativi sunt apud nostrum usitatissimi atque omnino apud scriptores hujus aetatis; neque Ciceroni alieni, cf. Or. I, 1, 1 et 3; neque Caesari, cf. Comm. ad b. civ. I, 18. b. Gall. VIII, 30 et 46. Sic apud Nostrum mox *civili discordia ;* vid. infra ad c. 11. *proscriptione*. Recte Gronov. ad Liv. V, 34 interpretatur nostrum locum, *quum tribunus militum esset* (item tamen videtur postea sententiam mutasse, quum in editione altera verba, quibus Torrentium (VIII, 22) vituperaverat, omiserit). Non ergo est, quod Torrentii conjecturam recipiamus, quanquam codd. quibusdam firmatur. Neque defenditur ea loco Titi, c. 4, ubi *meruit* requirit nomen praedicativum, neque ullus codex *tribunatum* exhibet. Altero quidem loco, Vespas. 2, Wolfius aliique scripserunt

auctores restituendae tribuniciae potestatis, cujus vim Sulla deminuerat, enixissime juvit. L. etiam

auctores Pall. tres. Vind. C. = Med. 1. 3. = Par. 2—5. 9—15. 17. 19—22. Steph. Med. 75.
actores Duo Mscr. Torr. Memm. (testibus Cas. et Turn.) Copes. Ber. 2. Par. 6 et 16 superscriptam habent *u* eadem manu. *actiones* Par. 18.
auctoresque (Viterb. Liss. Rom. 2.) Vind. B. Med. 2. Vind. 2. Cort. Pin. Vr. 1. 2. Paris. 1. 7. 8. Ber. 1. Fouc. Rom. 1. Inde Graevius conjecit *actores auctoresque.* sed vid. Comm.
deminuerat, Vind. C. Par. 2. 5. 9. 10. 17. 22. Ber. 2.
diminuerat Memm. (teste Cas.: quare non est quod miretur Gronovius nihil adnotasse Salmasium hic et Domit. 12. Adnotavit vero, ubi *dem.* invenit, infra c. 11. Aug. 41. 99.) Oud. omnes, meique praeter supra laudatos.

tribunus, sed timeo ne temere contra omnes codd. aliquam Suetonii *καινοπρέπειαν*, quales noster plures, deleverint: cf. ibi Adnot. *Tribunatum* nostro quidem loco sensu caret; nam quomodo quis tribunatum militum juvare dici potest?

2) PRIMUS. Militia inque ea tribunatus erat primus gradus auspicantibus senatorium ordinem aut omnino civilem honorem. Senec. ep. 47 med. Infra Aug. 38. — Eadem, quae Caesaris fuere initia Marii. Sall. Jug. 63; Valerii Corvi Gell. IX, 11; Manlii Torquati Liv. VII, 5; M. Catonis, Plut. Cat. min. 8 et 9. — De Caesare cf. Plut. 5.

3) PER SUFFRAGIA POPULI. Pseudo-Ascon. in Cic. Verr. I, 10, 30 p. 142 ed. Orell. „Tribunorum militarium duo genera: primum eorum, qui Rufuli dicuntur; hi in exercitu (a consulibus) creari solent; alii comitiati, qui Romae comitiis designantur"; cf. Polyb. VI, 19. *Rufuli* aut *Rutili* appellati ex nomine ejus, qui primus legem tulit, ut pars tribunorum a populo ipso crearetur, cf. Fest. s. v. *Rutili*. Quando primum ita creari coeperunt, Liv. VII, 5 narrat (A. U. 394). Variabat autem jus tribunos eligendi pro varia populi aut nobilium potentia; postulante etiam reipl. utilitate, ne nimia populo in hac re esset potestas ac facilitas eligendi ineptos homines; cf. Liv. IX, 30. XLII, 31. XLIII, 12. XLIV, 21. Plura dabit Sigonius de ant. jure civ. Rom I, 15 p. 175 et Addend. p. 881. Id. de jure provinc. II, 2 p. 152. Lips. de milit. Rom. II, 9. Gruch. de comit. II, 2. Ernest. clav. s. v. *tribunus*.

4) AUCTORES. Particula *que* in quibusdam codd. addita huic voci orta videtur ex inepto illo Accusativo *Tribunatum*. Graevius, qui propter varias hujus loci editiones conjicit *actores auctoresque*, habet quidem locos (Nep. Att. 3. Cic. pr. Sext. 28, 61), ubi haec duo conjunguntur, sed his locis virtus ejus, qui *auctor* et *actor* appellatur, summopere praedicatur; nostro vero loco ineptum esset, cum de Caesaris opera praestita narret scriptor, exaggerare laudes eorum, quorum actiones hic unius Caesaris causa commemorantur. Similis huic Graevianae est Casauboni conjectura infra c. 7 „arbitrium orbis terrarum *potiundi portendi*." Recte ceterum Graevius „*Actor* est, qui ipse rem agit seu gerit; *auctor*, qui ostendit, quomodo res sit gerenda, idem qui suasor." Ideo haec vox, ut nimiam in juvene personam indicans, recte ejicitur ab Orellio Cic. pr. Sull. 12, 34. Cf. de confusione et significatione harum vocum Beck crit. quaest. II. de Glossem. p. 12. Intt. ad Cic. Orat. II, 47, 194. Phil. II, 11, 26 Claud. in Eutrop. I. 170. de IV consul. Honor. 579. Madvig. opusc. acad. p. 165. Kritz ad Sall. Cat. 3; qui tamen sententiam suam mutavit in „Zeitschr. für Alterth. 1834. S. 787." laudato Gerlach. in Praefat. ad Sallust. ed. 1832. p. XIII. et Cic. Or. III, 15, 57. Nostro loco *actoresne* modo, an ipsos *auctores* intelligamus, ambigi non potest; actoribus enim Caesar potius ipse adnumerari potuit.

5) RESTITUENDAE. Restitutio tribuniciae potestatis saepius jam antea nequicquam tentata; cf. orat. Macri in Sall. Histor. fragm. III, p. 967 ed. Cort.; supra c. 3; Ascon. ad Cornel. p. 66 ed. Orell. Perfecerunt denique Cotta, Crassus, Pompejus; cf. eosdem atque Vell. II, 30; Sall. Cat. 39; Liv. ep. 97; Cic. Verr. I, 15; de legg. III, 9, 22. Dio 36, 21. 38, 30. App. I, 121. Plut. Pomp. 22. Cujus tamen rei Pompejum mox poenituit teste App. II, 29.

6) VIM — DEMINUERAT lege Cornelia tribunicia, qua omnia jura praeter intercessionem ipsis eripiebantur, atque etiam *honore* magistratus privabatur, quum ei qui trib. plebis fuisset, alios honores petere non liceret. Cf. praeter modo laudatos App. I, 59 et 100. Liv. ep. 89. Cic. legg. III, 9. Caes. b. civ. I, 5 et 7. Tac. Ann. III, 27. Dion. Halic. V, 77. — Sed de ipsa illa *extremi juris intercessione* (Caes. l. l.) qualis fuerit, multae magnaeque sunt VV. DD. dissensiones, quum a Cic. Verr. I, 60 narretur, multam a Q. Opimio, tr. pl., petitam esse, quod intercessit contra legem Corneliam: nec facile in auctorum hac de re brevitate accuratius constitueris, quibus limitibus circumscripserit Sulla potestatem tribuniciam; cf.

Cinnae, uxoris fratri, et qui cum eo civili discordia Lepidum secuti post necem consulis ad Sertorium confugerant, reditum in civitatem rogatione Plotia confecit, habuitque et ipse super ea re concionem.

Plotia Vind. B. C. Par. 1. 2. 3. 5. 6. 7. 9. 12. 14. 15. 17. 18. Ber. 2. Steph. Med. 75.
Plocia Memm. Vr. 1. 2. Par. 4. 8. 10. 11. 13. 16. 19—22. = Fouc. = Ber. 1.
super ea re = Mem. Vind. 2. Cort. = Par. 1. 2. 3. 5—8. 12. 14—18. Vind. B. C. Vr. 1. 2. Ber. uterque. Torr. et Cas. tacent.
super ipsa re Harl. Cop. Vind. 1. Peris. Par. 4. 9. 10. 13. 19. 20. 21. 22. Edd. Venetae tres. Bon. aliae. — *super hac re* Par. 11.

Walther Röm. Rechtsgesch. I p. 254; Zachariae Sulla II, p. 12 et 90; Wittich de reipl. forma Sulla Dictatore p. 65 seqq. (maxime p. 71); Ramshom. de reipl. form. Sulla Dictat. p. 49. Rein. in censura horum libr. Zeitschr. f. Alterth. 1837. Febr. p. 197. Optime rem expedisse videtur Rubino de potest. trib. Cassel. 1825. p. 21: sublatam esse omnem intercessionem in legibus et SC., relictam modo illam veterem in jure, si quis inique a judice tractatus tribunos appellavit: Caesaris autem verba apud milites dicta non esse nimis urgenda. Ex antiquioribus cf. Ern. in clav. Cic. s. *lege Cornel. tribun.*

7) DEMINUERAT. Recte constituisse Oudend. h. l. discrimen inter *deminuere* et *dim.* concesserim equidem: attamen hoc ipsum discrimen, ut fere fieri solet in cognatis adeo similiterque sonantibus vocibus, neque ab ipsis scriptoribus semper observatum, neque a librariis nobis servatum crediderim; immo plerisque locis nihil interesse, utro vocabulo utaris. Ita apud nos vocabula Fürsorge et Vorsorge duo diversa esse, nemo non videt: at quoties haec promiscue ab optimis scriptoribus dicuntur. — *Deminuitur* id quod decrescit, seu minus fit, quam fuerat, ideo quod ejus pars pereat seu adimatur, sed tamen unum manet. Ita Mss. optimi Liv. IV, 24 *deminutum censurae jus.* Frontin. I, 12, 9 *sideris deminutio*, ubi vid Oud.; Cic. Tusc. I, 28 *accretione et deminutione luminis.* Ita Mss. Chiffl. et Leidd. teste Oudend. Plin. hist. nat. II, 11 (14); XIII, 12 (23 ex.); XV, 1 (2); XXXIV, 13 ex. (38). Liv. II, 1, 10. Ita passim apud Cic. *deminutio libertatis, capitis civium, provinciae*, et in jure *capitis, juris, patrimonii;* cf. Schuetz. clav. s. v. *diminuere;* Brisson. de verb. signif. s. v. *demin* Schrader. ad Instit. jur. civ. I, 16 in. p. 107. et III, 1 § 15 ex. p. 424. Ita *deminutum* (i. e. deminutivum) *nomen* et *deminutio* ap. Quint. I, 5, 46 et 6, 4 et 6 Zumptius ex optt. libris restituit, ipseque jam Spaldingius in Praefat. Tom. I, p. LXXVI se corrigens. Inde saepe dicitur aliquid *deminutum de, ex re* Liv. II, 1, 8; VIII, 34; Cic. pr. Planc. 38; pr. Sull. 1; de Invent. II, 10, 33; Or. III, 49, 189 (ex edit. Lamb.); ad fam. IV, 5, 4. V, 16, 5: quare apud Apulejum quoque Metam. IV p. 69 ed. Pric. (pag. 66 ed. Alteb.) *duce vestro deminuti* scribendum videtur. — *Diminuitur* vero id, quod contunditur, confringitur (diluitur) et attenuatur aut dissipatur in minutiores partes; sicut *opes, bona, vectigalia* possunt *deminui* iis quid detrahendo; at *diminui* dilapidando, dissipando, herciscundo. Ita omnium librorum consensu Or. III, 33, 132 *distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae.* Lucret. Rer. Nat. V, 268. 390 *venti et sol diminuunt aequora* (ita Mss. teste Oud.) Idem Burm. restituit Ovid. Trist. I, 5, 44. Inde apud Comicos *diminuere alicui caput, cerebrum* Ter. Eun. IV, 7, 33. Adelph. IV, 2, 32. Plaut. Mostel. I, 3, 109. Men. II, 2, 30. At locis ab Oudend. allatis Cic. ad Qu. fr. I, 2, 3. Off. II, 21, 73. de leg. agr. I, 7, 21 vel omnes, vel optt. libri habent *demin.* Confer quae ad c. 37 diximus de discrimine vocum *defringere* et *diffringere.* Neque tamen desunt loci, quibus *diminuere* legatur, ubi ex Oud. praecepto *demin.* scribendum est; ita Caes. b. civ. III, 2 plerique Mscr. *dimin.* exhibent: item b. Gall. I, 53; neque omnium scriptorum codices tanta sunt diligentia collati, ut certum judicium ferre possimus, quum plerique editores hanc potius orthographiae, quam etymologiae diversitatem habuerint: ita apud Tac. Ann. I, 14. II, 42. III, 61. XIII, 50 et 58. XVI, 28. Agric. 9 editores inde a Pichena *demin.* restituerunt, codicibus neglectis.

8) POST NECEM. „Lepidus tamen morbo et poenitentia periit, cf. Flor. III, 23, 7. App. b civ. I, 107." His verbis Cas. reprehendit Suetonium, quod *nece* i. e. morte violenta perisse Lepidum dixerit, id quod falsum esse testantur etiam Plut. Pomp. 16. Plin. VII, 36 et 53. At *nex* interdum de naturali morte dicitur; cf. Justin. 42, 1, 1 coll. 41, 6, 9. Sen. consol. ad Marc. (12?)

9) ROGATIONE PLOTIA. Gell. XIII, 3 „in oratione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit" Ex his verbis patet, perperam Sigonium de judic. II, 33 in. locum nostrum ad notissimam legem Plautiam de vi (cf. Ern. Indic. legum) referre, quasi Caesar reditum exulibus confecisset

VI. Quaestor Juliam amitam uxoremque Corneliam defunctas laudavit e more

demonstrando, legem Plautiam non contra Lepidianos, sed pro iisdem latam esse. Nostra lex his duobus solum locis commemoratur. — *Rogationem* hic pro *lege* dictam esse manifestum, nam sola *rogatione* nihil Caesar efficere potuit. Ita Flor. III, 17, 9 utrumque vocabulum promiscue posuit „Sic per vim latae *leges*, sed pretium *rogationis* statim socii flagitavere. Quare Gell. X, 20, 9 „In „veteribus tamen scriptis non magnam vocabulorum isto„rum differentiam esse animadvertimus; nam et *plebi„scita* et *privilegia* translato nomine *leges* appellaverunt; „eademque omnia confuso et indistincto vocabulo *rogatio„nes* dixerunt.“ *Lex* pro privilegio ipsi Ciceroni haud raro dicta, uti pr. leg. Man. 24, 69. Exemplum ex Sall. histor. fragm. II Gellius ipse affert. Adde legem omnino esse vocem latioris significationis, ita ut *rogationem* etiam comprehendat, uti Cic. pr. Sulla 23, 65 „*Lex* dies fuit „proposita paucos: fieri coepta nunquam“ mox eandem *rogationem* dicit; cf. Duker ad Flor. l. l. — Illud vero alterum, quod Gellius affirmat, *rogationem* pro *lege* dici, apud Ciceronem certe non observavi; nam pr. Sull. 22 in. *rogatio Caecilia* revera neque lex fuit, neque unquam lata est. Apud Quintilian. vero II, 13, 6 „neque enim *rogationibus plebisvescitis* sancta sunt ista praecepta (rhetorices)“ fuere, qui rogationes de senatus consultis interpretarentur: Spalding, συνωνύμως putat dicta esse. Mihi vero Gellii verba X, 20, 7. comparanti „sive cum populus, sive cum plebs rogatur“ *rogationes* leges populi jussu latae dici videntur. — Quam vero Festus s. v. *rogatio* definitionem exhibet hujus vocis, ex qua idem esset, quod *privilegium;* ea nullo prorsus scriptoris loco firmatur, quanquam nostro loco *rogationem* (ut saepissime *legem*) de privilegio intelligendam esse, recte Cas. monuit; si quidem *privilegium* de omnibus legibus intelligimus (uti Gellius l. l.) quae non de universis civibus, sed de singulis quibusdam latae sunt. In XII tabulis vero et apud Ciceronem privilegia dici edicta in singulos homines data, quaestione a judicibus non habita, docent Dirksen Civilist. Abhdlg. Tom. I, p. 253. (qui praecipue ad Tac. Ann. III, 27 et Ulp. in Dig. I, 3, 8 „jura non in singulas personas, „sed generaliter constituuntur“ provocat); Zimmern Gesch. des Röm. Privatr. I, 1 p. 60: cf. Niebuhr. Tom. II, p. 374. Adnot. 749; ipsumque Cicer. de legg. III, 19, 44.

10. PLOTIA Gell. XIII, 3 Plautiam appellat. De commutatione literarum *o* et *au* vide lepidam fabellam in vita Vespas. c. 22. De etymologia nominis Plauti sive Ploti cf. Fest. s. v. *Ploti*.

11) CONCIONEM Gell. XIII, 3 „Reperi tamen in ora„tione C. Caesaris, qua Plautiam rogationem suasit, *ne„cessitatem* dictam pro *necessitudine*, i. e. jure affinitatis. „Verba haec sunt: *Equidem mihi videor pro nostra ne„cessitate, non labore, non opera, non industria de„fuisse.*“ Ex his verbis Cas. satis, immo fortasse nimis argute conjicit, Caesarem hujus unius Cinnae causa legem suasisse: verisimilius tamen est, eum sibi hac lege factionem plebisque favorem quaesivisse.

VI. 1) JULIAM sororem patris, quae nupta fuit Mario; Plut. Caes. 1. Mar. 6. Natus ex ea Marius junior. Cum plures sint Juliae, hic brevem conspectum earum cognationis subjiciam:

C. Jul. Caesar (avus)
ux. Marcia

C. Jul. Caesar (pater), ux. Aurelia — *Julia*, ux. Marii

Julia major, ux. Pedii atque Pinarii — *Caesar* Dictator — *Julia* minor, ux. Accii Balbi

Julia, uxor Pompeji (filia Caesaris Dictatoris) — ex cujus filia ux. Octavii (Juliae minoris)

Augustus.

2) CORNELIAM Cinnae filiam, ex qua Juliam Pompejo postea nuptam, suscepit; cf. c. 1. et Plut. Caes. 5.

3) LAUDAVIT E MORE. Plutarchus Caes. 5 has laudationes enarrans, diserte addit matronarum laudationes ex more Romano fuisse, sed in junioribus feminis non fuisse solitas: primumque hoc Caesarem fecisse in uxore Cornelia mortua. Ipse tamen Plutarchus de virt. mul. 1. ubi narrat legem Romanis fuisse, ut mulieres aeque ac viri post mortem debitis laudibus afficerentur, non addit juniores lege exceptas esse; neque ipse in Camillo c. 8. neque Liv. V, 50, ubi originem hujus moris narrant, quicquam de tali exceptione produnt. Quare lege quidem non videtur fuisse vetitum, laudare etiam juniores feminas, sed ex consuetudine senioribus tantum hic honor habitus, donec Caesar primus hujus rei exemplum dedit; non enim Plutarchus tam confidenter hanc Corneliae laudationem insolitam appellasset, nisi invenisset Caesaris aequalibus ita visam esse. — Exempla vero laudationum haec invenimus: Popiliam a filio Catulo, Cic. de Orat. II, 11, 44, ubi additur „cui primum mulieri hanc honorem in nostra civi-

pro rostris * *et* in amitae quidem laudatione de ejus ac patris sui utraque origine sic refert: „Amitae meae Juliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dis immortalibus con- „junctum est. Nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater: a Venere „Julii, cujus gentis est familia nostra. Est ergo in genere et sanctitas regum, qui plurimum

et ex Casaub. conjectura, quam Ern. recepit; libri omnes *sed.* cf. Comm.
— *ternum genus* hinc incipit Cod. Vind. A.
ab regibus = Memm. = Vind. A. B. Vr. 1. Par. reliqui. Steph. *a reg.* Copes. Periz. Medd. duo. Vind. C. Vr. 2. Fouc. Par. 6. 7. 8. Med. 75. *ac regibus* Par. 10.
diis [omnes codd. cum edd. aliquot vett.] Steph. *dis* = Memm. =
Marcio-Marcii] Par. 1. 3. 5. 9. 16. 17. 19. 21. 22. = Memm. Vindd. 1. 2. Vindd. tres. = Par. 4. *Martio-Martii* [edd. multae et ipsa Steph.] [Medd. duo. Periz. et edd. vett.] Med. 75. Fouc. Par. 2. 6. 7. 8. 10—15. 18. 20. Vr. uterque.

tate tributum puto" quare ista, quae Plut. et Liv. de origine laudationum narrant, fictitia videntur; neque Polybius VI, 53. 54 de laudationibus disserens, matronarum meminit. Laudata porro est Julia Caesaris filia Dio 39, 64; Drusilla, Caji Imperatoris soror, ib. 59, 11; Livia Augusta, Tac. Ann. V, 1. Suet. Calig. 10; Poppaea uxor Neronis, Tac. Ann. XVI, 6; Julia minor, Caesaris soror, Sueton. Aug. 8. Cf. Kirchmann. de funeribus II, 19. Cladenbach de laudationibus in Program. Essen 1832.

4) PRO ROSTRIS. Festus „*pro* significat *in*, ut pro rostris, pro aede, pro tribunali." Non tamen simpliciter est idem, quod *in*, sed significat locum praejacentem; nam neque orator stabat *in rostris*, sed *ante haec* (neque *pro concione* est *in concione*): inde translatum est ad loci partem anteriorem, ita ut *pro tribunali* sit *in anteriore tribunalis* parte; cf. Walther ad Tac. Ann. II, 81 *pro muris*. Videtur tamen hic usus post Ciceronem demum ad plures loquendi formulas pertinuisse, quum antea in paucis quibusdam locum haberet, quas Festus affert. Vide Hoffmann in Jahn. Jahrbüch. f. Philolog. 1828. II, 1, p. 28.

5) ET. Suo jure Ernestius videtur assentiri Casaubono, qui *s* ex proxima voce adhaesisse particulae *et* suspicatur, indeque *sed* ortum. Nemo reliquorum interpretum illud *sed—quidem* aut exemplis firmavit, aut explicuit; ne Wolfius quidem, qui *sed* retinuit „ob similem usum aliorum hujus aetatis," quem usum vellem exemplis illustrasset.

6. AMITAE MEAE. Haec Caesaris verba in senarios redigere conatus est Rivinus ad Pervigil. Vener. v. 76. Inepte! — Juliae pater, Caesaris avus, Marciam habuit uxorem, sororem Q. Marcii Regis, cos. a. 636. Glandorpius in Onom. Rom. p. 425. nr. 17. testem Dionem laudat, apud quem equidem nihil de his nuptiis invenio.

7) AB ANCO MARCIO. cf. Ovid. Fast. VI, 802. 3. — *Marcio* non *Martio*, scribendum esse Inscr. et Nummi docent cf. Manut. Orthogr. et Orell. Inscr. Coll. —

8) REGES. Initiali majuscula scribendum, quoniam cognomen est. Pighius in Annal. a. u. 552. p. 238. quaestorem provincialem hujus anni primum esse, quem hoc cognomine insignitum invenerit, testatur. Cum idem Marcius Rex quinquennio post Tribunus plebis fuerit, familiam plebejam fuisse, necesse est, aeque ac reliquos hujus gentis familias: neque post Coriolanum ullum patriciae gentis Marcium se invenisse affirmat Pighius. Mirum tamen, quod Reges, Censorini, Philippi, omnes ab Anco Marcio originem sibi vindicant, uti nummi testantur.

9) QUO NOMINE FUIT MATER. Cas. putat excidisse *ei;* Burm. *patris;* utrumque Oud. rejicit, bene monens, auditoribus Caesaris satis manifestum fuisse, cujus matrem diceret; praesertim cum Caesaris mater Aurelia, notissima omnibus, etiamtum in vivis esset (cf. c. 74), de qua igitur Caesar non potuit praeterito tempore dicere: *fuit.*

10) A VENERE JULII. Nimirum ab Julo, Aeneae filio; cf. Virg. Aen. 1, 286. VI, 789. Vell. II, 41. App. b. civ. II. 68. Dio 41, 34. 43, 22. 44, 37. Strabo III, 1, 27. Cic. ad fam. VIII, 15. Tac. Ann. IV, 9. Manil. Astron. I, 795. Dionys. Hal, I, c. 70. Inde Veneri Genitrici templum consecravit Caesar; cf. Comm. ad c. 61.

11) SANCTITAS. Perperam Ern. *caerimoniam* eandem esse dicit, quam *sanctitatem,* recteque Wolfius majestatem inesse sanctitati negat. *Sanctitas* in rebus humanis maxime *inviolabilitatem*, ut barbara secula loquuntur, denotat; deinde *morum integritatem nulla parte laesam.* Illa vi *sanctitas tribunatus* Ciceroni dicta pr. Sext. 37. Eadem vi Sallustius (v. Serv. ad Virg. Georg. 4, 211): *Adeo illis* (orientis populis) *ingenita est sanctitas regii*

„inter homines pollent et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges." In Corneliae autem locum Pompejam duxit, Q. Pompeji filiam, L. Sullae neptem, cum qua deinde divortium

caerimonia Ita = Memm. = et Steph.; reliqui *cerimonia* aut *cerem.*

nominis. At cum Cicero Nat. D. I, 41, 116 dicit: *Sanctitas est scientia colendorum deorum*: idemque Top. 23, 90 *sanctitatem* appellat *aequitatem ad manes pertinentem*, vocabulo addere videtur significationem, cujus exemplum neque apud ipsum, neque apud alium scriptorem invenies: definitionem exhibuit his locis ex praesenti potius sermone natam, quam ex rei universae consideratione. Eadem temeritate *justitiam erga deos* modo *pietatem* (Nat. D. l. l.), modo *religionem* appellat (Part. or. 22; cf. de Invent. II, 22, 66. 53, 161). Recedit jam a casta Latinitate Tacitus *sacra regni* dicens (Ann. II, 65), quae hic *sanctitas regum* est; nisi divina jura regiae dignitatis intelligere velis.

12) CAERIMONIA: religiosa veneratio: plus igitur est quam sanctitas, quae hominibus quoque tribuitur. Wolf. — Inest certe semper huic vocabulo divinae majestatis legumque divinarum notio. Ita Cic. pr. Rosc. Am. 39, 113 *caerim. legationis*; Tusc. I, 12, 27 *caerim. sepulcrorum* (quas violatas inexpiabili religione sanxerunt). pr. Mil. 22, 59 *caerimoniis* (i. e. sacris) *violatis*. Noster infra c. 67 *pollutarum caerimoniarum*. Caes. VII, 2 *gravissimae eorum caerimoniae* de sanctissimo jurejurando. Serv. ad Virg. Aen. IV, 303 „sciendum *Orgia* apud Graecos dici sacra omnia, sicut apud Latinos *caerimoniae* dicuntur." De reverentia Deorum Cicero Ernestio interprete in clave Cic. (Schuetz. mire hanc vocem omisit) usus est hac voce: Inv. II, 22, 66. 53, 161. Tacitus uti de sanctitate, ita de caerimoniis quoque *sacra* dicit; Ann. I, 42. *sacra legationis rupistis*; 13, 17 et 15, 52 *sacra mensae*. — De *orthographia* vocis multum disputatum est: in Ciceronis libris editores plerumque *ae* et *i* scripserunt, quae scribendi ratio in duabus etiam Inscr. invenitur; cf. Cellar. Orthogr. Festus s. v. „*caerimoniam* causam alii „ab oppido Caere dictam existimant; alii a caritate dic„tam putant." Addit Scaliger „*Cerus* veteri lingua sanc„tus, a quo cerimonia, ut a sanctus sanctimonia: et my„sticum erat nomen Jani Cerus Manus in carmine Saliari. „Quamvis et Creator bonus exponatur a quibusdam vete„ribus. Nonnulli a Cerere cerimonias (ritus ergo abditi, „profanis occulti). Propterea Glossarium: cerimonia ὀῃ„μητρια. Etymologiam de oppido Caere refert Valer. „Max. 1, 1, 10." Manutius in Orthogr. addit: „P„surius Sabinus, teste Gellio IV, 9, 8, caerimo

„carendo dictas putat; cf. Macrob. III, 3. Sunt etiam „qui a caelo derivent, quasi caelimonias; sicut caeruleus „dicitur pro caeluleus."

13) QUORUM IPSI. Horat. Od. III, 1, 6. Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Jovis.

14) Q. POMPEJI Rufi, ejus qui interfectus est a seditioso tribuno plebis Sulpicio a. u. 666 coss. L. Cornelio Sulla et Q. Pompejo, patre nostri. Ipse pater eodem anno a militibus Cn. Pompeji Strabonis, qui Pompeji Magni erat pater, occisus est; cf. Liv. ep. 77. Vell. II, 19. App. I, 63. Noster Pompejus Livio teste gener Sullae erat atque filium reliquit Q. Pompejum, inimicum Ciceroni tribunum plebis; cf. Ascon. in Milon. p. 34 ed. Orell. Cic. ad fam. 8, 1. Dio 40, 45 et 55. Quae igitur hic Pompeja neptis Sullae appellatur, soror erat sine dubio tribuni plebis. Cf. de his Pompejis Clavem Cic.

15) DUXIT. Plut. Caes. 5. dicit eum *post* quaesturam tertiam hanc uxorem duxisse. Neque Suetonius refragatur: nam cum quaestor defunctam Corneliam laudaverit, vix eodem etiam anno aliam duxit; immo quae Suetonius hic statim de Clodio narrat, Praetore demum Caesare facta sunt.

16) ADULTERATAM i. q. stupratam, cf. c. 47. Aug. 67. Hor. Epod. 16, 32. Cato apud Gellium X, 23 *adulterare* absolute dicit pro *adulterium committere*. Torr. —

17) OPINATUS. Aliter tamen prae se tulit, cf. c. 74.

18) A P. CLODIO. Res notissima, in Ciceronis epp. ad Att. I, 12. 13. 14 prolixe narrata; cf. Plut. Caes. 9. 10. Cic. 19. 28. Cic. pr. Sext. 54 et mox laudatos. Apud Appianum II, 14 Juliae nomen ab imperito sciolo inepte insertum ejecit Schweighaeuser; cave tamen, ne ab eodem scriptore Calpurniam stupratam narrari putes, quum eam paullo ante nominaverit. In Livii epit. 103 pro *Metelli Pontificis* legendum esse *Maximi Pontificis* (Caesaris nimirum) jam Sigonius vidit: error librarii ex compendio scripturae ortus.

19) PUBLICAS CAERIMONIAS. Publicas, quae pro populo fiebant, uti Cic. ad Att. I, 13, 3 scribit. Festus „*Damium* sacrificium, quod fiebat in operto in honorem „Bonae Deae, dictum a contrarietate, quod minime esset ... i. e. publicum. Dea quoque ipsa δαμίας (al. ...ppellabatur." Glossarium: *Damium* θυσίαι,

fecit, adulteratam opinatus a P. Clodio, quem inter publicas caerimonias penetrasse ad eam muliebri veste, tam constans fama erat, ut Senatus quaestionem de pollutis sacris decreverit.

in muliebri Copes. Huls. Med. 3. Bern. 1. Par. 2. deest *muliebri veste* Par. 7.

ὑπαίθριον γενόμενον. Conjecerit inde aliquis in Festi verbis *aperto* pro *operto* scribendum esse, sed Cicero quoque Parad. IV, 2, 32 *opertum Bonae Deae* nominat et Plin. h. n. X, 56 (67) *opertanea quaedam sacra* commemorat. Recte Scaliger dicit Damium appellatum, quod pro populo fieret. Simile sacrum Athenis factum quotannis a βασίλισσα, uti hoc Romae ab uxore consulis aut praetoris, (cf. Plut. Cic. 19; Dio 37, 35 et 45) Pitiscus ad h. l. adnotavit ex Demosth. or. contra Neaer.: sed longe alia ista sacrorum erat pollutio. Dubitant praeterea VV. DD. factumne sit sacrificium in domo Caesaris, quia Praetor fuerit, an quia Pontifex Maximus. Hoc suspicantur ex or. de harusp. resp. 3, 4. Liv. ep. 103: illud prius ex eadem or. 17, 37 „fit pro pop. R., fit in ea domo, quae est in imperio" et Dion. l. l. Sed isti loci priores nihil testantur, nisi Caesarem tum forte Pontificem Max. fuisse. Factam vero pollutionem esse eo anno exeunte, quo Caesar erat Praetor, coss. Silano et Murena, inde certum, quod Cic. Kal. Jan. Messala et Pisone css. rem in ep. ad Att. I, 12 breviter, in seqq. accuratius perscribit. — De Bona Dea ejusque cum Cerere (χθονίᾳ) comparatione et sacrorum ejus cum Thesmophoriis similitudine *cf.* Creuzer. Mythol. II, p. 866. et 976. IV, p. 181. Plut. Caes. 9. Dio 37, 45. Vell. II, 45. Cic. de Harusp. resp. 17, 37. Macrob. I, 12 med. Intt. ad Juven. Sat. II, 86. 87. Lactant. I, 22. 9.

20) MULIEBRI VESTE psaltriae, Plut. Cic. 28 teste: inde Juven. VI, 336 Clodium psaltriae appellatione describit; ubi Scholiastes male addit, eum in *templum* intrasse. — *In* additum a quibusdam non offenderet, si melior fides praepositionem tueretur. Cf. de praepositione addita Intt. ad Virg. Aen. IV, 518. V, 179. VII, 167. Broukh. ad Tibull. I, 9, 70. Davis. ad Cic. de Nat. D. II, 5. Noster quoque *in* addidit: Claud. 17. Ner. 25. Vitell. 8. Oth. 12.; omisit infra c. 49 (ubi *in* modo praecessit.) Cicero in eadem re narranda ad Att. I, 12 *cum veste muliebri;* ib. 13. *muliebri vestitu* dicit.

21) QUAESTIONEM—DECREVERIT Ex Ciceronis epp. ad Att. I, 12. 13. 14 et 16. cognoscimus primo rem ad Pontifices esse delatam, ut statuerent, essetne nefas commissum: quod ut statuerant, SC. factum esse, ut quaestio haberetur *a judicibus per Praetorem electis:* mox vero Fufium perfecisse, ut judices alio modo (sorte, ut videtur) lecti judicarent, atque ita Clodius absolutus est; cf. Drumann Tom. II p. 206. sqq. De jure Pontificio vide Excursum II (quem adjecturus eram huic specimini, nisi excessisset fines huic opusculo praescriptos); hoc tamen contra Dirksenium (Civilist. Abhandl. Bd. 1. Die Criminaljurisdict. des Senats) monere velim: non satis accurate eum affirmare, Senatum in Clodii causa nihil egisse, quam pontificum responsum flagitasse: videtur enim ex Ciceronis epp. certamen fuisse Senatusne judicium constitueret, an populus: nam Senatus quaestionem voluit constituere extraordinariam, mandatam Praetori ex SC.; Clodii amici rem ad populum trahebant, ut unus ex quaestoribus perpetuis judicium solito more perageret. —

22) ERAT etc. UT — DECREVERIT. Recte Wolfius dicit nihil mutandum esse; neque *fuit*, neque *decerneret* scribendum: sed quod ipse supersedens argumentis ad sensum quendam grammaticum provocat; in eo accuratior Zumptius, Gramm. §. 504. docens hunc Perfecti usum convenire optime enumeranti potius, quam enarranti res gestas atque hanc ob causam vitarum scriptoribus familiarem esse. Cf. etiam, quae Baumg.-Cr. in Corollario clavi Sueton. addito, § 6 habet; Zumpt. ad Verr. II, 46, 113. Suetonius plurima ejus perfecti exempla habet, cf. modo c. 13 et 14: neque quicquam interest, verbum primariae sententiae Perfectum sit Imperfectumne; hoc enim pro sua vi et natura ponendum. Ita c. 67. *diligebat* — *ut* — *summiserit.* v. Zumpt. ad Verr. I, 30, 75. V, 10, 27. 13, 34. Brut. 3, 10. 88. 302. Copiosissime haec omnia tractavit Krüger, Untersuchungen aus dem Gebiet ect. II § 70—83, qui propriam iniit rationem explicationis, quam exponere longum est. — Perfecta conjunctivi modi in sententiis, quae effectum exprimunt, accurate et copiose explicuit Pasche in Jahnii Jahrb. f. Philol. 1831. Supplem. I, 1. p. 66. Aliam denique perfecti conjunctivi, quod in narratione ponitur, vim, quam optativam dicit, illustravit Görenz. ad Cic. Acad. I, 10, 35.

Appendix variantium lectionum

quae ex errore ortae aut manifesto vitiosae sunt, aut in paucis iisque malis codd. deprehenduntur.

In his lectionibus colligendis praeterii, ne nimis copiosus essem, orthographica ejusmodi, quae nullius fere momenti essent, uti *Mitridates, tribunitius, sedicio, contio, littore, hybernis, divorsium, sequutus* atque innumera alia, quae partim sine lege et constantia in singulis codicibus inveniuntur; partim, ubi constanter expressa sunt, in accuratiore codicum descriptione locum suum habebunt. Optimi ex Parisiensibus codicibus sunt 12 et 17; proxime accedit 19: reliqui tot talibusque scatent erroribus, ut facile videas librarios aliquando ne compendia quidem scribendi intellexisse atque propterea haud cunctanter vel insana ridiculaque exhibuisse. Eas tamen lectiones, quas editores priores attulerunt, omnes addidi, quia plurimi libri, ex quibus petitae sunt, aut perierunt, aut certe nunc ubi lateant, ignotum sit.

